



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 10. In Dalmatiâ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

Ad Comaram Thermæ calidæ sine certo fonte aluicum Danubij sequuntur, & vt is crescit, aut decrefcit, ita aut recedunt, aut accedunt. Solent autem quo magis exundat fluuius, hoc longiùs recedere: quare iis qui lauari volunt subinde alias, atque alias scrobes fodere, & quasi puteos aperire coguntur. *Idem.*

§. 9. *In Croaciâ.*

VSKOKI in Croacia Damarum ad instar, ex collibus in colles volitant mirâ, & suprâ quàm credi possit, velocitate. Vtuntur autem ad illos saltus calceis ex funibus confutis. *Soranzo part. 2.*

§. 10. *In Dalmatia.*

In hâc regione oues in anno bis pariunt, immo etiam ter si diligentiori curâ tractentur; quod obseruauit Aristoteles in Admirandis. *Vicentius Pribeno de origine Sclauorum.*

Ad urbem Sebenicum sub Eugenio IV. Pontifice, homo inuentus est qui ex mari prodierat, ad mare puerum trahens. *Nierembergus.*

In agro Ragusino lacus existit ex aquis in vallem confluentibus, vbi plurimi pisces licet eius aqua quotannis exsiccet, quo tempore hîc seritur hordeum, & legumina cum vberissimo prouentu. *Boterus: & Dominus de Beauuan.*

Pisces qui capiuntur in prædicto lacu, adeo pingues, vt de cocti in aquâ purâ, in adipe elixati esse videantur. *Daustus in Imperiis.*

Ad mare Ragusini incuruant arborum ramos, qui post duos annos sic onerantur ostreis, vt fidem numerus superet. Idem etiam contingit si fasces in mari demersi duobus aut tribus annis detineantur. *Idem.*

§. 11. *In Boffenâ.*

REGIO hæc bobus abundat, & ouibus, quæ si hîc interficiantur macilentiores sunt, & nullius succi: si verò in Italiam transferantur, & pascua gustauerint circa Athesim, illico impinguantur, & fit optimi saporis earum caro. *Auctor Rerump. & Imperiorum.*